Vernet in dei laude terra quia colitur, mundus quia cogno
scitur, ecclesia quia deuote numero plebis augetur. Haec ociose
in principio statim genesis dei iussu coniugium copulatur, non ut
heresis destruatur. Sic enim deus coniugium probauit ut iunge
ret, sic remuneratus est ut quibus sterilitas filios denegasset,
pietas diuina concederet. Et erit magnus coram domino. Non cor
poris hic, sed animae magnitudinem declarauit. Est coram domino
magnitudo animae, magnitudo uirtutis, est et paruitas
animae et pueritia uirtutis. Iuxta enim animae et corporis
numeratus aetates non pro ratione temporis sed pro qualitate uirtutis,
ut uir perfectus ille dicatur qui careat errore pueritiae et lubricum
adolescentiae animi maturitate non sentiat. Pusillus autem
qui nullum adhuc uirtutis uideatur habuisse processum. Unde
illud in hieremia cum misereretur dominus deflentis effrem et peccata
propria deprecantis (uel penitentes): a iuuentute inquit mea dilectus mihi est filius ef
frem puer in deliciis. Si enim non fuisset puer in deliciis, nun
quam peccauisset. Et bene utrumque dixit, et in deliciis et pu
erum. Est enim puer qui non peccat: Ecce puer meus quem elegi.
Per delicias itaque peccauit, qui non ita erat informatus a domino
ut nescius esset erroris. Ergo et si puer in deliciis non fuisset,
et si in uirum perfectum uirtutis processisset aetate, nunquam la
psus fuisset, ut illi necesse esset ueniam suorum petere delictorum,
cum magnorum meritorum praemia sperare deberet. Quod etiam dominus
noster in euangelio uidetur exprimere cum dicit: Nolite contemnere
unum de pusillis istis. Sed loco suo plura seruentur. Ergo pu
sillus contrarius est magno, et si iuxta apostolum paruulus sub
elementis est: cum essemus (etsim) paruuli sub elementis huius mun
di eramus. Ergo magnus super elementa mundi est. Erit ita
que magnus iohannes non uirtute corporis sed animae magni
tudine. Denique non fines alicuius propagauit imperii, non tri